

Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Carissimis in Christo filiis B[ernhardo] diacono et B[ernhardo] abbati<sup>1</sup> salutem et apostolicam benedictionem<sup>2</sup>.

\*f. 6.  
(p. 7.) Fraternitati vestre notum esse non ambigimus, quia ideo ab \*Urbe confisi de misericordia Dei et adiutorio beati Petri egressi sumus, ut ad Theutonicorum partes, composituri inter eos ad honorem Dei et utilitatem sanctę ecclesię pacem, transiremus. Sed quia defuerunt qui nos secundum quod dispositum erat conducerent, impediti adventu regis in Italiam, in Longobardia inter inimicos Christianę religionis non sine magno periculo remansimus, et adhuc, sicut desideravimus, ultra montes proficisci nequivimus. Quo circa monemus vos et ex parte beati Petri precipimus, ut fulti auctoritate huius nostri precepti nostraque vice ab eodem apostolorum principe accincti utrumque regem, H[einricum] videlicet atque R[odulfum], commoneatis, quatenus viam nobis illic<sup>3</sup> secure transeundi aperiant et adiutorium atque ducatum per tales personas, de quibus vos bene confidatis, prebeant, ut iter nobis Christo protegente pateat. Desideramus enim cum consilio clericorum atque laicorum eiusdem regni, qui Deum timent et diligunt, causam inter eos Deo favente discutere et, cuius parti magis ad regni gubernacula iusticia faveat<sup>4</sup>, demonstrare. \*f. 6'.  
(p. 8.) Scitis \*enim, quia nostri officii et apostolicę sedis est providentię maiora ecclesiarum negocia discutere<sup>5</sup> et dictante iusticia diffinire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium tantę gravitatis est tantique periculi, ut, si a nobis aliqua fuerit occasione neglectum, non solum illis et nobis, sed etiam universali ecclesię magnum et lamentabile pariat detrimentum. Quapropter si alteruter predictorum regum huic nostrę voluntati ac deliberationi parere et ad vestra monita locum dare rennuerit, suamque superbiam atque cupiditatis faces contra honorem Dei omnipotentis accendens ad desolationem totius Romani imperii anhelare temptaverit, omnibus modis omnique ingenio usque ad mortem, si oportet, nostra vice, immo beati Petri auctoritate ei resistite et totius regni gubernacula contradicendo tam illum quam omnes sibi consentientes a communione<sup>6</sup> corporis et sanguinis domini nostri Iesu<sup>7</sup> Christi et a liminibus

1) Ebenso unvollständig hat die Adresse auch Bruno gegenüber dem volleren Text im Register und bei Hugo. 2) Der Brief ist datiert vom 31. Mai 1077 zu Carpineti (unweit von Canossa). 3) So auch Bruno für 'illuc'. 4) So auch Bruno und Hugo; 'favet' bei Jaffé, Bibl. II, 278, ist sicher nur Fehler. 5) c durch Loch im Pergament zerstört. 6) So auch Bruno; 'participatione' Registrum u. Hugo. 7) 'THU' Hs.